

tei ut vobis iustificationis

ut ni que coiuon omi m

ur im gaudiuus alle

episcopis suis omnesque de



ov

wicht im Ab

WP

Ug 17, 9



14

POSITIONES

De

Interdictis in genere, & quatuor
prioribus illorum speciebus;

Quas,

AUXILIANTE D E O,

PRÆSIDE

WOLFGANG-A DAMO Lauterbach/
U.J.D.& Prof. h.t. Rectore,

Exercitii gratia

*Publicæ Amicorum disquisitioni
submittit*

PAULUS WÖRFEL, Norib.

Ad diem 17. Decembr.

M. DC. LV.

Tubingæ,

TYPIIS KERNERIANIS.

*Nobilissimis, Ampliss. & Consultissimis
VIRIS,*

DN. WILHELMO LUDWEL, Cod. &
Feud. in almâ Altorfinâ P. P & Primario, Celsiss. Princi-
pis Palatini Consiliario gravissimo.

DN. NICOLAO RITTERSHUSIO,
Pand. ibidem P. P. Affini suo Parentis ad instar hono-
rando.

DN. IOHANNI KOB, Instit. ibidemque P. P.
& h. t. Facultatis suæ Decano Spectatissimo.

*J*Ctis Celebratissimis, & inclytæ Noribergensium
Reip. à Consiliis, Dominis Praeceptoribus ac Patronis suis
veneranter suspiciendis.

Positiones hasce

*eō, quo par est animi culta
& observantia,
sacras esse voluit*

PAULUS WÖRFEL,

3.
C U M D E O!

POSITIO I.

Interdicta olim nihil erant aliud, quam jussa & præceppta Magistratum, quibus maximè in causis possessionum vel quasi possessionum aliquid fieri vel jubebant vel prohibebant.

II.

Jussi si interdictis non obtemperabant, adversus ipsos, Magistratus itidem implorati, vel manu militari & via executivâ procedebant, vel civilibus ex causis Actionem concedebant.

III.

Novo jure mutatus est ille interdicendi modus, & in causis quoque possessionum statim actiones proponuntur.

IV.

Interdicta licet in rem videbantur concepta, omnia tamen erant personalia. Actiones quæ pro his exercentur, & in causis maximè possessionum vel quasi possessionum competunt, quædam sunt Reales, quædam verò Personales; quædam simplices, quædam duplices, nimirum retinendæ possessionis; quædam annuæ, quædam verò perpetuæ.

V.

Interdicta versantur vel circa jus personarum, vel circa jus rerum; & hæc vel circa res divini, vel humani Juris. Posterioris generis iterum sunt vel publica vel privata; hæcque vicissim vel universalia vel singularia.

VI.

Ratione finis dividuntur in prohibitoria, restitutoria & exhibitoria; & quæ rem familiarem spectant, sunt vel adipiscendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ possessionis.

C 2

Ratio-

4.

VII.

Ratione processus hodie judicia Possessoria à Dd. dividuntur in ordinaria sive plenaria, & extraordinaria, summaria sive summarissima.

VIII.

Summarium differt ab ordinario, 1. quoad judicij constitutionem, 2. quoad probationem, 3. ratione sententiae. Et exceptio rei judicatae in Summario, non nocet agenti in ordinario possessorio. In Summario enim tantum definitur, quis interim in possessione esse debeat, in plenario vero de ipsâ agitur possessione, ad quam scilicet illa pertineat.

IX.

Commodius est possessorio agere, quam petitorio.

X.

Petitorium tanquam principale absorbet judicium possessorium. Victor vero in possessorio non repellitur in petitorio.

XI.

Solo possessorio intentato, Judex de petitorio pronunciare non potest; licet ex probationibus justa petitorii causa appareat.

XII.

Sic etiam solo petitorio instituto, super possessione judicari nequit.

XIII.

Actor tamen, qui petitorium instituit, eo pendente, ante conclusionem ad possessorium transire non prohibetur.

XIV.

Possessorium & petitorium tractari & determinari debent coram eodem Judice.

Prius

XV.

Prius tamen tractari & determinari debet possessorium; & eo demum finito admittendum est petitorium. Licet enim petitorium ratione effectus sit principale: ratione tamen ordinis possessorium est primum, petitorium secundum.

XVI.

Possessorium & petitorium verè cumulari nequeunt; quod ipsum Jure Civili non tantum verum esse existimamus de possessorio retinendæ, sed etiam de possessorio acquirendæ & recuperandæ possessionis.

XVII.

Moribus tamen nostris, secundum Jus Canonicum, cumulatio petitorii & possessorii acquirendæ & recuperandæ permittitur; ita tamen ut judex, si hoc ipsi commodius videatur, etiam de sola possessione pronunciare possit.

XXIII.

Interdictum *Quorum bonorum* est universale, adipiscendæ possessionis, & differt ab hereditatis petitione.

XIX.

Hoc interdictum non descendit ex quasi contractu, nec est actio personalis, sed proprius ad naturam realium actionum accedit.

XX.

Datur bonorum possessori & heredi; testamentario & legitimo, suo & extraneo, etiam in legitima instituto; verum in re certâ instituto, quâ tali, nunquam competit.

XXI.

Datur adversus illos, qui aut universa bona, aut rem tan-

tum singularem hereditariam pro herede vel pro posse-
flore possident, idque verè, vel fictè.

XXII.

Hoc interdictum etiam ad res incorporales pertinere,
exinde quoque probat Bernhard **Wiedenbrück**; quia ipsa bo-
norum possessio & hereditas, quæ hoc judicio petitur, incorpo-
ratis est. Sed male.

XXIII.

Nec meliores sunt ejus rationes, quibus ostendere co-
natur, hoc interdictum etiam de actionibus personalibus
dari.

XXIV.

Exceptio dominii excludit hoc interdictum, licet ipsa
non probetur in continenti.

XXV.

Remedium *L. f. Cod. de Edict. D. Hadr. tollendo*, non est
condictio ex lege, & datur etiam filio in legitima instituto;
non verò ratione supplementi ex lege debiti.

XXVI.

Utile competit etiam heredi in re certâ instituto. Cur
verò nonnulli hoc remedium donatario mortis causa
concedant, & legatario denegent, rationem videmus
nullam.

XXVII.

Legitimo heredi non competit; nec illi qui in nuncupa-
tivo testamento heres institutus est: nisi illud postea à No-
tario in publicum instrumentum fuerit redactum.

XXVIII.

Ut autem quis per hoc remedium possessionem obtineat,
non sufficit, si judiciale exhibeat testamentum, de quo
non

non apparet, quod illud ab ipso testatore Judici fuerit oblatum.

XXIX.

Interdictum *Quod Legatorum*, per l. pen. C. ad L. Falcid. tacitè quasi sublatum esse, falsum est.

XXX.

Cessat interdictum *Quod Legatorum*, si defunctus rem mortis causa donatario tradiderit, vel Legatarius officio Judicis rem legatam consecutus sit. Cessante verò Lege Falcidiâ, non statim cessat hoc interdictum.

XXXI.

Legatarius in omnibus casibus, in quibus locum habet interdictum *Quod Legatorum*, salvas retinet actiones ipsi ad legatum consequendum competentes.

XXXII.

Si heres rem legatam apprehenderit, & postea legatarius propriâ authoritate ejusdem possessionem non vacuam occupaverit, ipsi quidem actiones denegantur, sed tunc interdictum *quod Legatorum* non habet locum.

XXXIII.

Interdictum *ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*, interdum est adipiscendæ, interdum retinendæ, interdum recuperandæ possessionis.

XXXIV.

Actio nomine hujus interdicti competens est personalis, & datur, quanti res est, propter quam quis in possessionem missus est.

XXXV.

Quamvis verò Actor hac actione aestimationem illam consecutus sit, debitor tamen eo ipso non liberatur.

Actio

XXXVI.

Actio de tabulis exhibendis est personalis & perpetua ; quam heredi competere simpliciter negat Antonius Faber, ad l. 3. §. 8. ff. ad exhibend. Sed nos distinguendum esse existimamus : an scilicet heres scriptus hereditatem adierit , an verò non. Priori in casu procedit Fabri sententia : verum posteriori in casu heredi hæc actio omnino competit.

XXXVII.

Et datur adversus illos , qui possident vel dolo possidere desierunt , de tabulis cuiuscunque ultimæ voluntatis , etiam mortis causa donationis.

XXXVIII.

Nec refert validæ an invalidæ , priores an posteriores , perfectæ an imperfectæ sint tabulæ.

XXXIX.

Hâc actione convictus si non exhibeat , æstimationem ejus , quod actori in tabulis adscriptum est , præstare tenetur.

XL.

Nec tamen heres per æstimationem legati à tertio non exhibente præstitam liberatur.

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle
002 381 974

3



56.

VDTI

spatia saecula
in milion manib[us] n[on] agnoscuntur

A
ante omnia que n[on] agnoscuntur

h[ab]uit d[omi]n[u]s i[n] diebus suis

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DONES

ere, & quatuor
speciebus;

RE DEO,

E

AMO Lauterbach/
Rectore,

tia

disquisitioni

F E L, Norib.

ecembr.

V.

I A N I S.